

PAVLVS IOVIVS COSMO
MEDICI ILLVS RISS.

FLORENTIAE DVCI.

S. P. D.



NSIGNIVM aliquot Procerum uitæ imitatione Plutarchi summæ gtauitatis philosophi, à me , licentiore stilo perscriptæ , quibus tu magnanime Cosme spiritum dedisti , quum elegantissimis formis ut luculentius in publicum prodirent, ex - cudentadas curaueris, iure optimo patroci - nium tuum depositunt aduersus obtrectatores, uel hac una ratione, quòd censuræ tuæ iudiciū subierint. Agnoscis enim (ut qui nostrorum temporum historiam exactissime calles) quo animi candore , quoué studio & pudore afferendæ ueritatis , ea quæ nos uidimus , posteriorum memoriae tradide - rim . Intemperantis nanque ingenii foret , ea mandare lite - ris atque edere , quæ summorum Ducum & Principum, qui adhuc uiuunt & florent , testimonio refelli possint ; ut iam non aliunde locupletior & certior fides scriptis nostris con - stet,quàm ex his quæ à summis Regibus & Ducibus, qui bel - la gesserunt , enarrata referuntur ; Quando hæc , infinita prope diligentia indaganti mihi (quod in tanto suscepto ne - gocio summæ felicitatis fuit) cum uniuersis cunctarum pro - pe nationum Ducibus , aut illustris amicitia , aut non obscu - ra familiaritas intercesserit , ut ex ipsorum sermone rerum gestarum consilia atque euentus noscerentur . Quid enim uniuersam toto cognito orbe collectam historiam , à quin - quaginta ab hinc annis scribere auso , tantumque opus non inuita Minerua ad hunc usque annū perducenti , aut in hac uita beatius , aut post mortem extincta demum inuidia glo - riosius euenire potuit , quàm hoc incorruptæ libertatis speci men prætulisse? Sed id opus quod iam planè absolutum pro - pediem edetur, excitabit (ut reor) apud nos externasque gé - tes , dissinos clamores , ut libido cuiusque feret, inter ambi -

A ii